



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecumenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Regvla V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

eius verò textum, nemo text. vulgata editi-
onis esse existimet.

REGVLA IV.

Cum cōperimento manifestum sit, si Sa-
cra Biblia vulgari lingua, passim sine discrimi-
mine permittatur, plus inde ob hominum
temeritatem, detrimenti quam Vtilitatis o-
riri, hac in parte iudicio Episcopi, aut In-
quisitoris stetur, vt cum consilio Parochi,
vel Confessarij, Bibliorum à Catholicis au-
ctoribus versorum, lectionem in vulgari
lingua eis concedere possint, quos intelle-
xerint, ex huiusmodi lectione nō damnum,
sed fidei, atque pietatis augmentum capere
posse, quam facultatem in scriptis habeant.

Qui autem, absque facultate ea legere seu
habere præsumperit, nisi prius Biblijs Or-
dinario redditus, peccatorum absolutionem
percipere non possit.

Bibliopolæ verò, qui prædictā facultatem
non habent, Biblia idiomate vulgari con-
scripta vendiderint, vel alio quouis modo
concesserint. librorum pretium, in vsus pios
ab Episcopo conuertendum, amittant: a-
lijsque pœnis pro delicti qualitate, eiusdem
Episcopi arbitrio subiaceant.

Regulares verò, non nisi facultate à Præ-
latis suis habita, ea legere, aut emere pos-
sint.

REGVLA V.

Libri illi qui hæreticorum auctorum ope-
ra interdum prodeunt, in quibus nulla, aut
pauca

Pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cuiusmodi sunt Lexica, concordantia, Apophthegmata, Similitudines, Indices, & huiusmodi; si quæ habeant admixta, quæ expurgatione indigeant, illis, Episcopi, & Inquisitoris vnâ cum Theologorum Catholicorum consilio sublatis, aut emendatis permittantur.

REGVLA VI.

Libri vulgari idiomate, de controuersijs inter Catholicos & hæreticos nostri temporis differentes, non passim permittantur, sed idem de ijs seruetur, quod Bibliis vulgari lingua scriptis, statutum est.

Qui verò de ratione bene viuendi, contemplandi, confitendi, ac similibus argumentis vulgari sermone conscripti sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur prohibeantur, sicut nec sermones populares, vulgari lingua habiti.

Quod si hætenus, in aliquo regno, vel prouincia, aliqui libri sunt prohibiti, quod nonnulla continerent, quæ sine delectu ab omnibus legi non expediat, si eorum auctores Catholici sunt, postquam emendati fuerint permitti ab Episcopo, & Inquisitore poterunt.

REGVLA VII.

Libri qui res lasciuas, seu obscœnas, expresso tractant, narrant, ac docent, cum non solum fidei, sed & morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.